

libros nullâ juris dispositione, nullo statuto, aut fixâ consuetudine extenditur. Longè videlicet dispar ratio librorum, & personarum est. Nisi reus audiatur, incertum passim erit sive de factò, sive de facti ratione, & æquitate, vel iniquitate iudicium. Nam quod ab aliorum testimoniis pendet, quæ sæpe fallacia sunt, minus firmum esse solet, & Rei defensione convelli poterit, vel confessione ab omni dubio liberari. Sed liber typis editus, vel quodcunque scriptum bonitatem suam, vel malitiam præ se fert, ipsum in iudicio accusatum, auditur pro se, & contra se loquens, dum legitur, & accurato discutitur examine: tum demum de sensu ejus obvio fertur sententia. Si autem liber consideratis enuntiationum terminis hæreticus sit, hæreticis, erroneis, impiis, blasphemis, seditiosis scatenis dogmatibus, sufficiens ad ejus absolutionem, si Author Catholico à se animo scriptum esse testetur, aut si propositionibus sensu obvio hæreticis sensum affixerit catholicum quidem, sed à communi acceptione alienum? Liber utilitati animorum, vel documento potissimum idoneus est juxta sensum, qui statim in oculos, & animos legentium insilit; non juxta alienum, & fictitium, quantumcunque eum à se fuisse intentum, Author, sacramento etiam interposito, affirmavit.

De libro Quesnelli, & ejus doctrina hætenus iudicium fertur, non de Authore: in librum, & propositiones ejus evibratur anathema, non in scriptorem; quo si & ipse feriendus esset, audiretur prius, & servato juris ordine, enuntiaretur sententia. Ad iudicandum autem de libro, vel propositionibus ex eo desumptis minimè necessarium est audiri, vel consuli scriptorem, cujus causa propriè, & directè non agitur. At, inquit, agitur saltèm indirectè, quia libri, & propositionum damnatio, præsertim si impietatis, blasphemæ, schismatis, vel hæreseos censuram complectitur, non potest non maculam diffundere etiam in Authorem. Non eo inficias; sed neque potest reus de gravi crimine condemnari, & infami affici supplicio, quin macula aliquid aspergatur ejus sanguineis, præsertim proximis, immo & familiaribus, & amicis, ideone in reum de crimine certissimo etiam suâ confessione convictum proferri sententia non poterit, nisi illorum prius omnium, etsi maximè diffidorum, defensio audiatur? Quesnellus plusquam mille milliaribus Italicis ab Urbe diffusus est; scribit se eò proficisci non posse; procuratorem pro se, quod facillè posset, nullum constituit, sed vult omnes accusatos libri Ar-

ticulos sibi transmitti, & à se ex Hollandia expectari defensionem, sive ut loquitur *explicationem*, & si alicubi opus fuerit, *retractationem*. Quid si autem ipsa explicatio Sedi Apostolicæ visa fuerit ambigua, fraudulenta, & involvendo potius Propositionum sensui, quam exponendo idonea, certè minimè sufficiens ad excusandum sensum obvium, & ab impietatis, blasphemæ, schismatis, hæreseos crimine, censuraque liberandum? Quid si & ipsa Quesnelli defensio pestilens, & prorsus damnanda videatur, rursùmne Romanis in Hollandiam recurrentum est, & sententia interim suspendenda? Quis denique scribendi, rescribendi, & per tanta terrarum spatia toties remeandi finis? Perspicuum est hac ratione, neque Quesnello, neque CLEMEN-TE XI. vivente litis terminum sperari potuisse.

Quod de *retractatione* promittit, non minus inane, frivolum, & fallax est; quis enim Quesnellum unquam humilem, unquam submissum, & obedientem Sedi Apostolicæ, aut ulli ejus definitioni, vel decreto vidit? Quis non semper superbiam tumidum, pertinacem, indomitum, supremæ Authoritatis, & Decretorum omnium sibi non faventium contemptorem? Gerberonianæ audaciæ, & novæ ejus Bajanorum operum editioni cum schismaticis contra Pium V., Gregorium XIII., Urbanum VIII. vindictis applaudit: omnia contra Jansenii librum, & doctrinam ab eodem Urbano, Innocentio X., & sequentibus Pontificibus, Decreta arguit partim injustitiæ, partim ignorantia: *Dissertationum* suarum in *S. Leonis Opera* censuram, tanquam *libellum famosum, divinis humanisque legibus repugnantem*, dilacerat conviciis, atque proculcat: Non aliter excipit Decretum Alexandri VIII. contra Articulos triginta & unum. Nihil magis irreverens, & schismaticum potest excogitari, quam varia Quesnelli scripta contra sanctiones omnes Apostolicas in causa Archiepiscopi Sebasteni. Temeritatem ubique, & impudentiam spirat *Epistola*, à Quesnello nomine *Episcopi ad Episcopum* data, contra Pontificiam famosi *Cassini Conscientia Censuram*. Sed nè longius abeam, Quesnelliani *Dialogi* contra primam *Observationum Moralium* damnationem satis nos edocent, atque convincunt, quid de promissâ *retractatione* iudicandum sit. Illic pag. 15. minatur, quòd quando errores, & excessus, quibus *Observationum Moralium* liber scaterere dicitur, exhibiti fuerint, calumniatores suos *ad incitas redacturus sit, & facies eorum oppleturus ignominia*.

Hic autem, ut patet, calumniantium nomi-